

Q. k. 517, 14.

CARMINA GRATULATORIA.
IN GRATIAM ET
LAVDEM, DOCTI, MORVMQVE

II n
8903

PROBITATE EXORNATI ADO-
lescentis, VITI CONRADI REISNERI VVormatiensis,
cum ei in inelyta Argentoratensium Academia à CL. viro, D.
IOANNE LVDOVICO HAVVENRETERO Medicina
ac Philosophia Doctore, pro tempore Decano spectabili, D.
M. MELCHIORE IVNIO Rectore magnifico, pri-
mus philosophia honos decerneretur, XI.

X-2005973

KL. Iulij. Anno reparatae salutis
CIS. IC. XIIIIC.

AMICITIAE ET BENEVOLENTIAE ERGO
SCRIPTA AB AMICIS.



ARGENTORATI
Apud Antonium Bertramum.
M. D. XIIIIC.





VM militaris non sine gloria,
Phæbi in sacrata militia, puer:
Laurû coronant te Camœnæ:
Excipiuntq; suis virectis.
Nunc occupando collem Heliconium
Sis occupatus: tum quid enim feres:
Tentare cum cliuum superbum
Emererat viridem coronam?
Ignara certò mortis adorea
Speranda, tantis conditionibus:
Longè Attali quæis posthabenda
Sors preciosa, Midæq; votum.
Porro, propinqua è rupe vocantibus,
Reisnere, Musis, acer ades: moram
Rumpe, euge: & æternis sagacem.
Consilijs animum fatiga.
Supraq; cœcas alite Pegaso
Nubes vehêris: monteq; in arduo
Sistêris, applaudente Phæbo,
Iam meditante novos honores.

M. Iustus Meierus
Nouiomagus.

Nunc

A L I V D.

Nunc facili connecte manu, mea Musa, coronam,
 Quæ lauri baccis sit benè cincta suis.
 Hac ornas Vitum Reischerum semper amandum:
 Et recrees dulci pectora fessa sono.
 Nam victor rediens, præda spolijsq; potitus,
 Militiæ ostentat fortia gesta suæ.
 Sunt hostes multi, quos altum Heliconæ petentes
 Vincere permagno ritè labore decet:
 Quos, qui non superat, vel non superare laborat,
 Ad frugem nunquam peruenit ille bonam.
 Nam qui nil tentant aliud, quam nocte dieq;
 Ut vacuent dulci vasa referta mero.
 Potando vincant alios Veneremq; sequantur,
 Vel tribuant leuibus tempora cuncta iocis:
 Non modo debilitant vires, mutantq; vigorem,
 Ut nequeant rectè munus obire suum.
 In precibus, studijsq; sacris, rebusq; profanis
 Nil dignum efficiunt nomine laude bona:
 Sed quoq; (ni reuocent) Dominus prouocatur ad iram
 Supplicio mulctet quò sine fine graui.
 Tu Conrade mihi certò superasse videris
 Fortiter hos hostes, quos superare decet.
 Pinguia non etenim Bacchi conuiuia turpis
 Curasti, curæ non Venus illa fuit.
 Nec quoq; vaniloquis consumsti tempora nugis,
 Quas tractant sana qui ratione carent.

Sed potius placuit didicisse fideliter artes
Ingenuas, vitæ gaudia summa tuæ.
Hinc & Apollo tibi Clarius, Diuæq; Camœnæ
Concedunt dignum non sine laude locum.
Ut cum præ reliquis sudâris ferre triumphum,
Et dederis studijs tempora cuncta tuis.
Ordine sis primus meritò, primoq; capessas
Virtutis titulum, cinctus honore sacro.
Iure igitur cuncti tantos gratantur honores
Emerito, ut fausti sint, maneantq; petunt.
Atq; utinam mihi facundæ suauissima linguæ
Gratia nunc esset: gratia qualis erat,
Vergilio quondam, fundenti verba diserta:
Cui dulcis clario fluxit ab ore sonus:
Et vicit reliquos nostro qui tempore clari:
Et pulchrum quondam qui meruere decus.
Si mihi, vera loquor, verborum copia tanta:
Quam varijs vellem condecorare modis
Te laudis titulum meritum, virtutis honore
Dignum: nam tales concelebrare decet:
Sed natura neget tales cum in carmine vires
Ut doctis nequeam iungere verba modis.
Sintq; alij melius qui commendare laboris
Sudorem possunt, donaq; plura tenent.
Versibus his teneris placuit gratarier istum
Virtutis titulum, laurea sarta, tibi.

Perge

Perge bonis auibus, celeri contendere cursu
Impiger ad Phæbi culmina Celsa sacri.
Sic mirè poteris mentem mulcere parentis,
Moribus ingenuis & pietate grauis.
Gloria sic patriæ poteris, solamen amicis.
Esse, & sic poteris munus obire tuum.

M. Samuel Lautenbach
Argentiniensis:

A L I V D.

Primas iure tenes Phæbo Reisnere fauente,
Moribus, ingenio, cultus & arte prior.
Quam segnis laudem somnus non attulit vlli:
Cum sit continui grande laboris opus.
Ergo tibi grator, sua quem docuere Camænæ:
Et precor vt semper laude fruare tua.

M. Ioannes Scitz.

A L I V D.

A N A G R A M M A T I S M V S

Vitus Conradus Reisnerus

En vinces virtus, ars, Sudor.

En studio rursus ines cura.

Virtutem quicumq; colit: quicumq; labores
Suscipit: & durum non fugit artis opus:
Is recipit quæcumq; cupit, quæcumq; vel optat:
Et tandem ingenij fert bona mille sui.

A 3

Sola

Sola potest homines æternos reddere virtus:
Inde venit constans gloria, magnus honos.
Si virtute vales, vinctes quæ vincere fas est:
Si virtute cares, nil mihi crede potes.
Artibus ingenuis nomen memorabile multis
Quæsitum: multis gloria parta fuit.
Præditus arte potest rerum cognoscere causas:
Nec mare, nec ventos barbariemq; timet.
Vtilis assiduus labor est: labor omnia vincit:
SUDOR virtutis testis, & artis adest.
Ergo tui si sint VIRTUS, ARS, SUDOR amici:
EN VINCES, quicquid vincere in arte decet.
SIC ReIsnere tVo sVperast Ino MIne CVncta: Annus
victoriæ
HInC Confert LaVrVs Vera trophæa tibi.
Vera trophæa tibi superi regnator olympi
Offert: & posthac plura trophæa dabit.
Perge modò, & pergens proprio de nomine canta:
EN STUDIO RVRVS CVRAQVE Sudor INES.
Aonij culmen montis conscendere durum:
CVRA tamen vincit, gloria summa datur.
Ergo tibi grator tanto de laudis honore:
Atq; tuis studijs commoda multa precor.
Perge, tuo vincis quoniam omnia nomine: vinctes
Nomine quæ proprio, vincere nemo potest.

Petrus Ebertz
Hnensis.

ESe

ALIVD.

E St locus extra urbem, rapidas ubi spargere glandes
 Ad metam ciues sulphure & igne solent.
 Consitus arboribus, vario quoq; germine, riuus
 Irriguo viridem flumine cingit humum.
 In medio fons est celebris, perlucidus vnda:
 Ungula Gorgonei quem modo pressit equi.
 Hic pile iuuenes iactu certare, puellas
 Hic videas facili neclereserta manu.
 Exieram vt virides campos lustrando, leuarem
 Contracta è studijs tedia longa meis.
 Hic ego dum varios sortis perpendo tumultus:
 Quæ genus humanum nunc onerosa premit.
 Protinus ante oculos forma præstante puella
 Constitit, en Paphiam vinceret ore Deam:
 Quæ sit? & vnde rogo veniat? quò tendat? at illa
 Mox addit dictis talia verba meis.
 Sum Dea Calliope Musarum prima, poëtis
 Laurea quæ soleo texere sertam manu.
 Huc me Musarum præses Cyrrhæus Apollo
 Misit ad Argyropes templa sacrata scholæ.
 Vt iuuenem Aonia vincirem tempora lauro
 Reisnero: clarum qui à patre nomen habet.
 Semper enim Clarijs acer sudauit in aruis,
 Et sua Castalijs labra rigauit aquis.
 Hinc quoq; nunc capiet iustissima dona laborum:
 Quos tulit in studijs nocte dieq; suis.

Hæc

Hæc ubi dicta dedit, videor modulamina cantus

Dulci soni subito percipere aure mihi.

Obstupeo, arrectis aduertēs auribus: astat

Phæbus & ecce simul turba nouena mihi.

Tangit Apollo Lyram, sub iungunt carmina Muse,

Imparibusq; canunt talia verba modis.

Felix ô ter & amplius

Qui pigra otia desidis

Vitæ non sequitur, suos

Luxu nec peragit dies.

Doctis sed magis artibus

Noctes atq; dies vacans:

Solerti ingenio sibi

Immortale parit decus.

Huius gloria nominis

Cedrus non secus ac virens

Alti sydera vertice

Sublimi feriet poli.

Ergo gaudia concipe

O Reifnere, nouum decus,

Quod Phæbus tibi nunc parat

Crines daphnide vinciens.

Hunc ubi finissent cantum sacra numina fontis

Pegasei, ex oculis mox abiêre meis.

Lauriger hunc igitur tibi quem decernit honorem,

Gratulor ex animo dulcis amice tibi.

Sic

Hæc

Sic tibi gratantur chari Reispere parentes:

Sic quoq; gratatur patria terra tibi.

Perge ita Pierijs luctari gnauus in aruis,

Incluta & assidua voluere scripta manu.

Hinc tibi laus veniet nullo delebilis æuo:

Hinc Celebris surget gloria, crede, tibi.

Quod superest Dominum votis precibusq; vocabo

Vt tibi dignetur semper adesse: VALE.

Χρονόςιοϋ annum, menscm, & diem renun-
nunciationis continens

IVn IV's Vn De Cies bIs qVan Doref VLget ab a Lto

ConneCtent CrInes LaVrea ferta t l b l.

Hieronimus Pegander
Berlinensis.

A L I V D.

I Teleues Elegi doctas ad Apollinis ædes,

Verbaq; Reispere ferte legenda pio:

Ite sed inculti, quales præsentia poscunt

Facta: index etenim, quibit hic esse color.

Hos tibi mittit Ager sterilis de monte pharetræ:

Exiguumq; vacat, si dare tempus, ades.

Dum tibi quæ vidi refero: siue id fuit vmbra,

Seu veri species: forma stupenda fuit.

Nuper enim æthereas cum iam penetrarat in arces

Cynthius, & nitidum sparserat ore iubar:

Excelsi subitò montis iuga summa petiui,

Maturo cupiens me vegetare die:

B

Con.

Conspexi patulos qua velant gramina colles,
Et quam sint miris omnia picta modis:
Quam varia herbarum genera & quam germina florum
Comparibus sese diuiderent spatys:
Conspexi ingentes pinus, vt robore certent,
Muneraq; herborum non numeranda soli.
Sed, dum cuncta mihi læto miranda videntur:
Dum lustro & montis summa per agro iuga:
Stat Clarius vultu, non quo prius esse solebat,
Sceptra manu insolito ferrea more tenens:
Nec torquem collo, nec habens viridantiaserta:
Nec benè compositas, comptus vt antè, comas:
Fusi pendebant, lugentis more capilli,
Acreeq; cingebant aridaserta caput:
Hei mihi, qualis erat: quantum mutatus ab illo
Phæbo, qui solitus fila mouere lyrae.
Obstupui, & toto manauit corpore sudor:
Quò ferar ignorans, qualia siue loquar?
Vt tamen excessit metus & pavor, ossa reliquit:
Talibus affata est libera lingua sonis.
O lux Aonidum, spes ò fidissima vatum,
Numina quis vitio læsit amica nouo?
Quis malus insuetas placido tibi concitat iras?
Quæ soluit comptas improba causa comas?
Frigore cur propriam passus torrescere frondem:
Ipsiq; æternum despoliare decus?

Num

Num quis contemptor Diuūm tibi dira precatuſ,
Contulit aut aris dona nefanda tuiſ?
Vix ea fatuſ eram: tremere omnia viſa repente:
Rupitq; iſ tales corde furente ſonos.
Tantane voſ generiſ tenuit fiducia veſtri?
Tantumne obſedit peſtora dura nefas?
Quiſ furor externuſ noſtraſ irrupit in ædeſ?
Quiſ noſtra eſt auſuſ conſcelerare ſacra?
Iam mihi ſacratam pariter voſ temnere laurum
Audetiſ tenuēſ atq; opulenta cohoriſ?
Quoſ ego: ſed præſtat magno malefacta Tonanti
Pandere, quò meritiſ præmia digna ferat:
Mene decet ſolio patrio deſiſtere victum,
Nec poſſe hoc tantum Marte domare ſceluſ?
Quid? num ego Theſpiaduſ qui dux incedo, Iouiſq;
Proleſ, contemni numina noſtra ſinam?
Ecquiſ adorabit Latonæ numina ſtirpiſ
Præterea, aut ſupplex thura cremanda dabit?
Excidet haud animo contemptæ iniuria lauri,
Qua capita iniuicti vindicta tulere duceſ:
Qua cinxere domoſ candenti marmore cultaſ
Quondam: ianitrix Pontificumq; fuit?
Nulli continget poſthac placabile numen
Noſtrum: fronde etiam voſ ſpoliabo ſacra:
Nulla Magiſteriſ ſigna, aut virtutiſ honoreſ,
Pendam: hæc contemptuſ pœna perenniſ erit.

Talibus ergò modis ora indignantia postquam
Pressisset, fudi supplice voce preces:
Magne parens vatam, si nondum exosus ad vnum
Nos: si fortè ferox diminui ira potest:
Humanos si quid pietas antiqua labores
Respicit: haud nostris vocibus obde forem:
Sunt formose, quibus melior sententia menti:
Sunt qui thuris adhuc munera iussa ferunt:
Sunt sex, sunt pariterq; decem virtute, bonisq;
Artibus imbuti: queis tuaserta placent.
Ex his summa tenet Reisner, qui sumpserat vndas
Crebrò, quas dextra ferre lubente soles:
His faueas oro: sint his tua numina prona:
His viridem laurum, munera sancta, refer.
Annuat his votis Phœbus: (nam fregerat ira
Vires) & blandos reddidit ore sonos.
Parce metu: si vera refers, si vera rependis:
Cernes illorum cingereserta caput:
Illa ex Aonijs promam florentia campis:
Vt cantet, mittam Pegasidumq; chorum:
Iamq; vale: & pro me primo gratare recentes.
Reisnero titulos, dignaq; verba cane:
Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit:
Iactavitq; alas Aonia arua petens.
Iussa ergò peragens tantos tibi grator honores,
Hisq; precor, possis exhilarare patrem.

Nicolaus Agerius Argentinensis,

Ecce

A L I V D.

Ecce dies Reisnere redit memorande sodalis
 Quo tibi primus honor, laurea prima datur.
 Est animus sanè placida dulcedine captus,
 Crede mihi, primum te meruisse locum.
 Quod tua cura fuit doctorum voluere scripta,
 Visere templa, scholas, inuigilare libris.
 Laudo nec immerito talem Vite Carpis honorem,
 Pierides Musæ quem tribuere tibi.
 Gratulor ergo tibi, de tali grator honore:
 Posthac vt capias commoda multa Vite.
 Vtq; tuis studijs diuinus Spiritus adsit:
 Dirigat ad laudem nominis ipse sui.
 Hæc precor, vt laurus tibi post mutetur in aurum
 Accipias uè breui dona secunda, Vite.
 Quæ modo sum tenui modulatus carmina auena,
 Suscipe mente bona, viue, valeq; diu.

Maternus Kohlerus
 Francofurtensis

A L I V D.

Doctis magna quidem laus esse parentibus ortum,
 Qui spargunt verbi dogmata Sancta Dei:
 Gloria sed maior, semper sectarier omnes
 Virtutes, studia, & fortia facta patrum,
 Hoc tu quod facias, dulcis REISNERE sodalis,
 Testatur præsens, qui tibi fertur honos.

B 3

Qui

Qui tibi sit felix, & cunctis faustus amicis,
Acceptus patriæ, Christicolisq; precor.
Pergito tu REISNERE tui vestigia patris
Seruare, in ceptum pergito laudis iter.
Consulitoq; boni crassa conscripta Minerva
Carmina. Nestorios viue valeq; dies.

I. A. L.

A L I V D.

Nescio iam celebrare tuum Reisnere trophæum:
Nescio, sic lauri nobile nomen habes.
Mos erat antiquis, solum gestare corollas,
Cum victor celebris depopulasset agros:
At tu non metuis te circum tempora lauru
Cingi, de victis hostibus ecce tuis.
Iam quia fortè tuas superasti dogmatis artes
Tu studij eximij dona referre studes.
Gratulor ergo tibi partum deferre trophæum,
Mittoq; sincero pectore, dona tibi.
Quod reliquum precor vt ceptis, insistere pergas
Eximij: referes nomina clara magis.
Laurigerum doctum sequitur mox crede petentem
Gloria, Laus, & honos, gemma, Tiara, toga:
Es patre prognatus, quem nunc patrius colit orbis
Mirantur docti, suspiciuntq; viri.
Cuius ad exemplum, vitam moresq; probatos
Si institues, fieret grata Deo atq; patri.

Non

Non mihi musa fauet, strictim mea carmina dixi,
Instituas modo tu sic tua cœpta. Vale.

Balthazar Meier
VVormatiensis.

A L I V D.

Quod teneris Musas coluisti semper ab annis:
Musarum & placuit te inuigilare choro.
Hinc de Phœbus amat, primum & virtutis honorem
Attribuens, ornat daphnide Vite comas.
Hunc igitur Reisnere tibi de pectore honorem
Gratulor, his cœptis prospera fando tuis.
Hoc pater, hoc fratres, mater, charæq; sorores
In votis id habent nocte dieq; suis.
Ut caput ingenuas possis efferre per artes,
Et decus ingenio conciliare: Vale.

Ioannes Draud
Vangio.

A L I V D.

Quæ tibi pro magnis, Reisnere, laboribus, almæ
Iam Charites tribuant, præmia clara, vides.
Sunt ea venturæ certissima nuncia laudis,
Quæ solet ex studijs certa venire bonis.
Quam non liuor edax, non fors dubio aspera casu,
Vltima quam poterit non abolere dies.
Hæc ergo toto tibi pectore grator, amice,
Et laude ut crescas splendidiore, precor.

Quod

Quod si restantes superaueris arte labores,
Spondet ut ingenij vis generosa tui.
Te clarum efficies, gratum patriæ, atq; parenti,
Et facies vota hæc vera fuisse: Vale.

Iohannes Ioachimus Orman
VVormatiensis.

ALIUD.

Non datur ignauo merces: nec gloria fuco.
Quisquis enim factis præmia digna capit.
Ast qui tu fueris, testatur Phœbus id ipsum:
Namq; tibi primum contulit ipse locum.
Scilicet ac vigilans noctes REISNERE diesq;
Parnassi montis culmina summa petis.
Non igitur nunc immeritò tibi ridet Apollo:
Exornantq; caput laureaserta tuum.
Patria memonet ipsa: monet quoq; tanta sodalis
Virtus: gratari laudibus ampla suis.
Ergo precor crescat nomen Reisnere: perennis
Ac laus permaneat: nomen in omen eat.
Te regat ac seruet supremi dextra Monarchæ:
Quò felix uti possis amice gradu.

Gratitudinis ac obseruan-
tiæ ergò scribebat.

Bartholomeus Kernerus
VVormatiensis.

FINIS.

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

RATVLATORIA.
TIAM ET
CTI, MORVMQVE

EXORNATI A DO-
MI REISNERI VVormatiensis,
tensium Academia à CL. viro, D.
HAVVENRETERO Medicina
o tempore Decano spectabili, D.
NIO Rectore magnifico, pri-
onos decerneretur, XI.
reparatae salutis
IC. XIIIIC.

NEVOLENTIAE ERGO
AB AMICIS.



NTORATI
ium Bertramum.
XIIIIC.



X-2005973

